



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 44. Francofordiensis tumultus Senatum inter & cives.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. autem anno die vigesima quinta Martii
A. C. 1612. in Hungariæ Reginam Pofonii in co-
 mitiis coronata est.

§. XLIV.

*Francofordiensis tumultus Senatum
inter & Cives.*

*Merc. Gal-
 lobelg. l. 34.
 pag. 302.
 & 359.*

Priusquam Imperator Francofordia
 abiret, Cives ad Templum euntem
 accedebant, efflagitantes, ut Civita-
 tis suæ privilegia, quæ hucusque Sen-
 natus solus in sua habebat potestate,
 sibi communicarentur, Judæi ejiceren-
 tur, usuræ modus statueretur, & de-
 mum frumenti forum in urbe institue-
 retur. Ad hæc quidem Cæsar eos be-
 ne sperare jussit, ipsi vero, cum rem
 nimium procrastinari crederent, post
 Cæsaris discessum arreptis armis Sena-
 tum ad communicanda ipsis privilegia
 adstrinxere. Re ad Cæsarem delata,
 atque in deliberationem vocata, Fran-
 cofordiensibus Cæsareo mandato injun-
 ctum, ut interim omnia in integrum
 restituerent, totamque causam Cæsa-
 ris cognitioni relinquerent: tandem
 vero per Electorem Moguntinum, &
 Hassiæ Landgravium Imperatoris De-
 putatos conventum est, ut Senatus
 omnia privilegia civibus ad hoc depu-
 tatis communicarent, ac deinceps ci-
 ves

ves ex suis honestos triginta sex Viros in Senatum sensim adlegendos nominarent: de Judæis autem quamprimum quid certi statuendum foret, interim vero de centum florenis plusquam octo usuræ nomine solvendi non essent, usque dum Cæsar aliter decreverit.

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

§. XLV.

Mulhemum a Principibus Juliacensibus jure Civitatis donatum.

Jam supra mentio occurrebat de edicto, vi cujus Coloniensis Senatus insigni Catholicæ Religionis tuendæ studio flagrans inhibuit, ne clandestina in urbe conventicula a Sectariis haberentur, aut cives ad illorum Conciones Mulhemum, vel aliorum extra urbem excurrerent: cum autem Principes Juliacenses pro Protestantium sectæ addictis hanc libertatem ac hæresis profitendæ opportunitatem, insuperhabito Coloniensi edicto, stabilire & promovere toto studio niterentur, hinc præfatum pagum jure Civitatis, amplis privilegiis, portuque mercatoribus commodo donare, proclamate publico constituerunt, injungentes, ut quisquis domicilium ibidem figere, vel ædes erigere cupiat, apud Principum delegatos se sisteret: Ut vero Catholicos

Merc. Gallo-belg. l. 8^e annal. tom. 7. l. 1. p. 99.